

DE CURATORIS PROCESSUALIS DESIGNATIONE PRO MENTE INFIRMIS*

IV. De constitutione et revocatione curatoris processualis

A. AUCTORITAS COMPETENS IN CURATORIS CONSTITUTIONE

Cum in Codice nunc vigenti, similiter ac in illo abrogato, materia ad curatelam spectans praevalenter¹ ad ius civile pertineat, in foro canonico idcirco semper habenda est ratio decisionis ab auctoritate civili hac in re forte datae quoad partem processualem coram tribunali ecclesiastico agentem vel respondentem. Qua de causa si ad deputationem curatoris pro parte mentis infirmitate laborante in processu canonico deveniendum proponatur, in primis videndum est utrum eidem parti in causa curator ab auctoritate civili iam datus sit necne.

Ad rem enim c. 1479 statuit tutorem² aut curato-

* Continuat a *Periodica* 81 (1992) 495-520.

¹ Ita quoad Codicem abrogatum D. STAFFA, *De constitutione curatoris pro mente infirmis in iure canonico*, in *Apollinaris* 16 (1943) 70.

² Pro diversa infirmitatis mentis gravitate apud nonnullas legisationes civiles datur distinctio inter tutelam et curatelam (cf. primam partem huius articuli in *Periodica* 81 [1992] 498). Merito igitur c. 1479 loquitur de tutore aut curatore ab auctoritate civili constituto (item c. 1137 CCEO).

rem ab auctoritate civili constitutum admitti posse a iudice ecclesiastico, audito, si fieri potest, Episcopo diocesano eius, cui datus est. Si autem tutor aut curator civilis non adsit, vel, qui ab auctoritate civili datus est, iudici tamen non videatur admittendus, ipse iudex curatorem³ parti in causa persona standi in iudicio carenti designare debet⁴.

Quare et iure quo utimur eadem «regula», tempore legislationis praecedentis admissa, nunc quoque retinenda est, quae edicit «iudicem ecclesiasticum pro suo foro, et prouti controversiae natura ferat, admittere tutores et curatores civili auctoritate datos»⁵, salva tamen ipsius competentia pro foro canonico apte providendi etiam per constitutionem novi curatoris.

1. *Partitio competentiae inter Ordinarium proprium et iudicem quoad curatoris constitutionem*

Antequam competentiae partitionis in curatoris processualis designatione ad normam veteris disciplinae fiat brevis adumbratio, in disceptationis huius

³ Quamvis c. 1479 tractet de tutore aut curatore a iudice designando, pro persona maiore tamen infirmitate mentis affecta, sicut in processu de nullitate matrimonii semper accidit, designari debet curator et non tutor, quia hic nonnisi personae minori datur (cf. c. 98, § 2).

⁴ In Codice abrogato principaliter in lucem posita erat quaestio de admissione tutoris aut curatoris civilis quam de cognitione eius existentiae. Cf. c. 1651, § 1: «Ut curator ab auctoritate civili datus a iudice admittatur ...». Sed art. 78, § 1 Instr. *Provida Mater*, d. 15 augusti 1936, insistere videbatur in praeviam agnitionem constitutionis tutoris aut curatoris civilis: «*Ubi tutor vel curator a civili auctoritate constitutus adest ...*».

⁵ M. LEGA-V. BARTOCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, vol. I, Romae, 1950, 304.

exordium in lucem proferenda est magni momenti novitas, recenti lege processuali inducta, hoc est in re ad curatelam spectante, quae in amplificatione potestatis iudicis in nominatione curatoris processualis consistit.

Secus enim ac in vetere legislatione, quae ordinario modo ac directe non implicabat iudicem ecclesiasticum in curatoris pro mente infirmis deputatione, nunc iam certo constat iuxta praescriptum c. 1479 eundem iudicem unice atque exclusive competentem esse sive in admittendo pro foro canonico curatore a magistratu civili constituto, sive in designando pro eodem foro novo curatore, si curator civilis admitti nequeat vel prorsus desit⁶.

Quamvis enim iure Codicis praecedentis in iudicio contentioso ordinario iudex admittere potuerit curatorem a magistratu civili datum, ad validitatem tamen admissionis requirebatur consensus Ordinarii proprii illius cui datus erat (c. 1651, § 1)⁷. Quin immo

⁶ Hanc novitatem continebat iam c. 85 Schematis canonum *De modo procedendi pro tutela iurium seu de processibus* a. 1976, qui ita statuebat:

§ 1. «Ubi tutor vel curator a civili auctoritate constitutus adest, hic a iudice ecclesiastico admitti potest audito, si fieri potest, Episcopo dioecesano eius cui datus est».

§ 2. «Si tutor vel curator non est a civili auctoritate constitutus, vel, etsi constitutus, non est a iudice ecclesiastico admissus, ipse iudex curatorem ad causam designabit iudicialiter vel administrative pro sua pastoralis prudentia».

Sed loco formulae huius canonis recepta est alia formula, ab aliquo organo consultationis proposita, quae correspondet formulae actualis c. 1479, addita tantum specificatione «Episcopo dioecesano» loco «Episcopo». Cf. *Communicationes* 10 (1978) 266-267.

⁷ Cf. c. 166, § 1 *De Iud. Orient.* statuebat: «... de consensu Hierarchiae proprii illius cui datus est».

De vi consensu «ad validitatem actus» — cf. c. 105, 1^o CIC 1917; c. 127, § 2, 1^o CIC 1983.

in processu de nullitate matrimonii art. 78, § 1 Instr. S. C. Sacram. *Provida Mater* non amplius prospiciebat iudicis competentiam pro admissione curatoris civilis⁸. Ex hoc autem sequebatur ut in causis matrimonialibus etiam curatoris civilis admissio pro foro canonico ad competentiam Ordinarii proprii mente infirmi transiret. Quae conclusio confirmationem inveniebat etiam in § 2 eiusdem art. 78 memoratae Instructionis, quae ad Ordinarium proprium deferebat tum admissionem curatoris a magistratu civili constituti, cum etiam designationem novi curatoris⁹.

His igitur praescriptis prae oculis habitis, ut primum curatoris deputatio iam ante initium processus necessaria exarsit, praxis iudiciorum sub vetere Codice elaborata sequentem procedendi rationem in constitutione curatoris sequebatur, quae paucis hisce exprimebatur verbis: «1) si adsit tutor vel curator ab auctoritate civili datus, hic indiget tantum confirmatione Ordinarii, qui plerumque eum admittet, nisi peculiaris ratio aliud suadeat; 2) si desit curator vel non admittendus censeatur, Ordinarius: a) praeviam inquisitionem circa statum mentis personae praemittat v.g. audiat peritum; b) audiat alteram partem, et, in causis nullitatis matrimonii, defensorem vinculi; c) decretum ferat quo curatorem constituat»¹⁰.

⁸ Cf. art. 78, § 1 Instr. *Provida Mater*: «Ubi tutor vel curator a civili auctoritate constitutus adest, hic ordinarie admittatur, nisi peculiares rationes Ordinario aliud suadeant (cf. c. 1651)».

⁹ Art. 78, § 2 Instr. *Provida Mater*: «Si tutor vel curator non est a civili auctoritate constitutus, vel, etsi constitutus, ab Ordinario non fuit admissus, eiusdem Ordinarii erit eum designare».

¹⁰ Cf. J.M. PINNA, *Praxis iudicialis canonica*, Romae, 1966², 52.

Similiter AE. DEL CORPO, *De curatore pro mente infirmis in causis matrimonialibus*, Neapoli, 1970, 53: «Antequam lis pende-

Quoniam vero constans praxis tribunalium ecclesiasticorum de constitutione curatoris modo ordinario ante inceptum iudicium tractabat, minus saepe autem tempore litis pendentiae, praesertim cum quaestio oriebatur de validitate relationis processualis propter mentis infirmitatem alterutrius saltem partis in causa¹¹, in ordinariis igitur rerum adiunctis seu in processus exordio deputatio curatoris processualis ad Ordinarium spectabat, ad iudicem autem deferrebatur exceptionaliter tantum, lite iam pendente, hoc est nonnullis tantum in casibus, a doctrina necnon a iurisprudentia rotali ad rem suggestis.

Qua de causa vetus disciplina curatoris nominationem demandabat prudentiae pastoralis¹² Ordinarii proprii partis mente infirmae, et in actu deputationis nil amplius inspiciebat nisi meram provisionem practi-

re incipiat, sive agatur de constitutione sive de adprobatione curatoris ab auctoritate civili iam dati, unice Ordinarius proprius mente infirmi in foro ecclesiastico est competens».

¹¹ Sed quoad competentiam cf. c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 9; SRRD vol. LVI, p. 230: «Nullum ius, e contra, competit iudici, quoad constitutionem curatoris, ex eo quod durante processu, vel etiam in altera instantia, detegitur defectus constitutionis curatoris ob inadvertentiam vel ignorantiam; curatoris, dicimus, qui necessarius fuisset inde ab initio. Tunc enim nulla relatio processualis valide instaurata est, et celebratus processus non est nisi species externa, quia, quamvis iudex esset competens, deficiebat altera pars ad effectus processuales. Ideo res deferri debet ad Ordinarium, qui curatorem constituat, et ita nexus vere processualis devinci queat».

¹² Ita c. MANNUCCI, sent. 10 augusti 1932, n. 2; SRRD vol. XXIV, 430; c. SABATTANI sent. 20 martii 1964, n. 9; SRRD vol. LVI, 229; c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, Petropolitana in Insula Longa, n. 2; c. GIANNECCHINI sent. 21 maii 1982, n. 2; RRD vol. LXXIV, 273.

cam et actum prudentiae pastoralis eiusdem Ordinarii¹³.

At profundior reflexio super natura iuridica nominationis curatoris ad litem, ab Ordinario proprio ut plurimum perficiendae, deprehendebat in ea actum administrativum iurisdictionis voluntariae¹⁴, aut simpliciter actum administrativum¹⁵, vel decretum administrativum¹⁶, quamquam hac in materia, praeter viam administrativam ordinario modo inchoandam, dari quoque viam iudicalem advertebatur, hoc est cum curatoris designatio obnoxia contestationi erat vel contentioni exponebatur¹⁷.

¹³ Cf. c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 8; SRRD vol. LVI, 228.

¹⁴ Cf. R. GIUSTINIANI, *De curatore dementis*, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 54 (1943) 108; G.J. SESTO, *Guardians of the Mentally Ill in Ecclesiastical Trials*, Washington 1956, 71; F. SALERNO, *Il procedimento canonico per la nomina del curatore dell'infermo di mente*, in *Il Diritto Ecclesiastico* 76 (1965) 187; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 61.

De conceptu iurisdictionis voluntariae seu non-iudicialis in vetere Codice (cc. 201, § 3; 205, § 1) — cf. G. MICHIELS, *De potestate ordinaria et delegata*, Parisiis-Tornaci-Romae-Neo Eboraci 1964, 158 ss.

¹⁵ Ita ex. gr. D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 78; J. TORRE, *Processus matrimonialis*, Neapoli 1956³, 223; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 57.

Itemque iurisprudentia Romanae Rotae, ex. gr. c. POZZI, sent. 12 ianuarii 1973, n. 5; SRRD vol. LXV, 21; c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, Petropolitana in Insula Longa, n. 2.

¹⁶ Ita ex. gr. c. EWERS, sent. 11 novembris 1972, n. 4; RRD vol. LXIV, 697.

¹⁷ Ita ex. gr. F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I, In Civitate Vaticana, 1956⁴, 521 D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 78; A. PUGLIESE, *La necessità del curatore canonico e dell'avvocato d'ufficio per le persone deboli di mente nelle cause matrimoniali ecclesiastiche*, in *Salesianum* 6 (1944) 185.

Quibus saltem praemissis, iam clarum apparet vigente Codice Pio-Benedictino iudicem fere per modum exceptionis, ideoque non modo ordinario, curatorem ad litem in exercitio potestatis iudicialis deputare valuisse. Nam praeter casum lege canonica expresse sancitum, scilicet adstante conflictu iurium inter curatorem et eius repraesentantem necnon persistente inter eos communicationis difficultate propter nimiam distantiam (c. 1648, § 2), iudicis erat curatorem processualem deputare nonnisi duobus in casibus, a praevalente doctrina et a rotali iurisprudencia recognitis. Idque concedebatur, obvia ratione, lite tantum pendente¹⁸, hoc est: a) si pars in causa in mentis infirmitatem lite iam pendente inciderit¹⁹, b) aut si curator iam constitutus in hac periodo pendentis iudicii defecerit, ut puta per mortem vel per renuntiationem²⁰. Attamen, hisce enuntiationibus

¹⁸ Cf. c. 1725, 5° CIC a. 1917; item c. 1512, 5° Codicis vigentis.

Sed instantiae initium iuxta Codicem abrogatum fiebat litis contestatione (c. 1732), dum iuxta Codicem vigentem idque fit iam citatione (c. 1517; cf. c. 1194, 5° CCEO).

¹⁹ Cf. D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 79; J.M. PINNA, *Praxis iudicialis canonica* (cf. nt. 10), 53; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 63.

Item cf. c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 9; SRRD vol. LVI, 230; c. STANKIEWICZ, sent. 20 ianuarii 1983, n. 13, in *Monitor Ecclesiasticus* 109 (1984) 252.

Sed iuxta alios etiam post «causae susceptionem» Ordinarius iudicialiter procedere debuit, ideoque minime iudex — cf. A. TOSO, *De constitutione curatoris in foro ecclesiastico*, in *Ius Pontificium* 19 (1939) 118.

²⁰ Cf. J.M. PINNA, *Praxis iudicialis canonica* (cf. nt. 10) 53; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 63. Item c. STANKIEWICZ, sent. 20 ianuarii 1983, n. 13 (cf. nt. 20), 252.

Argumentum desumebatur ex c. 1735: «Procuratore vel cura-

doctrinae et iurisprudentia minime obstantibus, tribunalium constans praxis curatoris constitutionem etiam in casibus superius memoratis Ordinario proprio infirmi mente demandare consuevit, etiamsi id fieri comprobaret ex iudicis petitione seu de eius «mandato»²¹.

2. *Accretio competentiae iudicis quoad curatoris processualis constitutionem*

Sicuti iam sub vetere Codice postulabatur ut curatoris constitutio post litis initium «unice iudici» competeret²², attento quod agebatur de actu necessarie coniuncto cum potestatis iudicialis exercitio iuxta illud: «cui iurisdictio data est, ea quoque concessa es-

tore a munere cessante, tandiu interrupta manet instantia, quandiu pars aut ii ad quos pertinet novum procuratorem vel curatorem nominaverint...».

At opinio contraria etiam tali in casu ad Ordinarium deferrebat curatoris processualis substitutionem: «in casu quo, e contra, curator declaret se recedere a munere sibi commisso, etiamsi hoc eveniet coram tribunali appellationis, illius substitutio ad trami-tem iuris semper facienda erit ab Ordinario proprio illius cui curator dandus est» — ita J. TORRE, *Processus matrimonialis* (cf. nt. 15) 225.

²¹ Cf. S. VILLEGIANTE, *La costituzione del curatore*, in AA.VV., *Cause incidentali e processo contenzioso sommario ossia orale nella dinamica della revisione del diritto processuale canonico*, Roma, 1988, 53.

Quoad praxim Rotae Romanae — ita AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 68: «Notandum vero quod Ponens, etiamsi eius competat et quidem — saltem probabiliter — exclusivum nominandi curatorem (hoc est «post legitimam citationem»), solet tamen Ordinario proprio mente infirmi constitutionem demandare ob evidentes rationes ordinis practici».

²² D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 79; G.J. SESTO, *Guardians of the Mentally Ill* (cf. nt. 14), 100; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 64.

se videntur, sine quibus explicari non potuit» (D. 2, 1, 2)²³, nova lex processualis ad removendas omnes incertitudines²⁴ difficultatesque, quae cum binae auctoritatis competentis exercitio in curationis nominatione pro eodem mente infirmo connectebantur, totam materiam curatela*e* iudicialis ad competentiam iudicis ecclesiastici defert²⁵. Idque decernit, subtrahendo talem competentiam a directo inventu Ordinarii proprii illius, cui curator dari debet. Haecce legis dispositio omnino prudens videtur necnon oeconomiae processuali favens, quia nominatio curatoris pro parte carente capacitate processuali stricte connectitur cum exercitio potestatis iudicialis. Iudex enim iam initio processus, hoc est cum de admissione libelli decernit, videre debet an actori legitima persona standi in iudicio non desit (c. 1505, § 1; § 2, 2^o; cf. c. 1188, § 1; § 2, 2^o CCEO). Immo decurrente quoque iudicio capacitati processuali partium cavere debet, ne sententia forte pronuntiata vitio insanabilis nullitatis laboret, si alterutra saltem pars non habeat personam standi in iudicio (c. 1620, 5^o; cf. c. 1303, § 1, 5^o CCEO)²⁶.

²³ Quod principium, a traditione canonica receptum (cf. cc. 1, 5, 11, 29, X, I, 29; Reg. 35, 42, 53, 80, R.J., in VI^o), applicatum erat in c. 200, § 1 CIC 1917 ad potestatem iurisdictionis delegatam, et in c. 138 novi Codicis ad potestatem executivam delegatam transit.

²⁴ Cf. S. VILLEGIANTE, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 21), 53.

²⁵ Cf. I. GORDON, *Novus processus nullitatis matrimonii. Iter cum adnotationibus*, Romae 1983, 9; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore processuale*, in AA.VV., *Il processo matrimoniale canonico*, Città del Vaticano 1988, 174; J.J. GARCIA FAILDE, *Nuevo derecho procesal canónico. Estudio sistemático-analítico comparado*, Salamanca 1992², 47.

²⁶ Non videtur admittenda opinio eorum, qui putent perso-

Hinc igitur perspicendum est vigore novae legis (c. 1479; item c. 1137 CCEO) iudicem ecclesiasticum exclusiva potestate pollere deputandi pro mente infirmo curatorem ad litem. Idque iudex perficere valet, prout casus ferat, hoc est: a) sive admittendo curatorem a civili auctoritate datum, audito tamen, si fieri potest, Episcopo dioecetano²⁷, b) sive substituendo iuxta discretionem suam alium curatorem in locum curatoris civilis, c) sive libere constituendo novum curatorem in limine litis, vel lite pendente, aut alium in eius locum subrogando (cf. c. 1519, § 2; cf. c. 1200, § 2 CCEO)²⁸.

Haec tamen curatoris designatio valet pro determinata causa iudiciali tantum, et perdurat in subse-

nam standi in iudicio non posse restringi ad legitimationem ad processum tantum, sed complecti etiam legitimationem ad causam, capacitatem iuridicam processualem et ius postulandi, ex quo necessario deduceretur quod «l'espressione "non habere personam standi in iudicio" deve significare una simul la mancanza completa di tutti quegli elementi», ideoque «non può verificarsi nel caso dell'incapace rappresentato» — S. VILLEGIANTE, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 21), 62. Cf. hac in re *Periodica* 81 (1992) 506-509.

²⁷ At quae Episcopo dioecetano in ambitu potestatis executivae tribuuntur, iuxta c. 134, § 3 intelliguntur competere «dumtaxat Episcopo dioecetano aliisque ipsi in c. 381, § 2 aequiparatis, exclusis Vicario generali et episcopali, nisi de mandato speciali».

Inde Vicarius generalis sine mandato speciali suum consilium quoad admissionem curatoris civilis dare non valet. Sed opinio seu consilium Episcopi dioecetani non requiritur ad validitatem admissionis (cf. c. 127, § 2, 2^o) curatoris civilis a iudice.

Similiter iuxta c. 1137 CCEO audiendus est, si fieri potest, Episcopus eparchialis eius, cui datus est tutor aut curator.

²⁸ Iudex ecclesiasticus praeterea potestate pollet constituendi tutorem vel curatorem pro minoribus iuxta c. 1478, §§ 1-3 (cfr. c. 1136, §§ 1-3 CCEO).

quentibus iudicii gradibus²⁹ usque ad finem litis, hoc est donec sententia in rem iudicatam transeat (c. 1641; cf. c. 1322 CCEO), vel, in causis de statu personarum, donec assequatur duplicem sententiam conformem (c. 1644, § 1; cf. c. 1325, § 1 CCEO), nisi in actu constitutionis aliter cautum sit³⁰. Quare pro disceptanda ac definienda quaestione praeiudiciali de admittenda nova causae propositione, hoc est in causis de statu personarum (c. 1644, § 1; c. 1325, § 1 CCEO), curatoris constitutio renovari debet³¹, prout

²⁹ Cf. c. Pozzi, sent. 12 ianuarii 1973, n. 3; SRRD vol. LXV, 20: «Curator semel constitutus, nisi ipse renuntiet vel ei munus revocatum sit, in subsequentibus iudicii gradibus, absque confirmatione, suum munus exercere valet, sicut communiter etiam in iure periti docent»; itemque c. PALAZZINI, decr. 7 octobris 1970, Asten.; c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, Petropolitana in *Insula Longa*, n. 3 b.

Similiter quoque S.T. Signaturae Apostolice, dec. 8 iulii 1971, in *Periodica* 61 (1972) 139.

Quoad doctrinam — cf. J.J. GARCÍA FAÍLDE, *Nuevo derecho procesal* (cf. nt. 25), 48; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 175.

³⁰ Cf. G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 183.

Post instantiae peremptionem (cc. 1520-1523) vel renuntiationem (cc. 1524-1525) ob extinctionem processus renovanda videtur curatoris constitutio, si eadem causa denuo introducatur apud idem vel apud aliud tribunal competens. Semper tamen videndum est utrum mente infirmus interea capacitatem standi in iudicio recuperaverit necne.

Ratio autem assertionis de valida perseverantia constitutionis curatoris in aliis instantiis usque ad finem litis, ponenda est in extinctione relationis iuridicae processualis, quae obtinet tantum cum transitu sententiae in rem iudicatam, vel, in causis de statu personarum, cum duplici sententia conformi. Cf. A. COMOLI, *La costituzione del rapporto processuale canonico*, Milano 1970, 66.

³¹ AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 109.

etiam in processu restitutionis in integrum (cc. 1645-1646; cc. 1326-1327 CCEO)³².

3. *Iudicis competentis determinatio*

Sicuti vigente adhuc Codice Pio-Benedictino disceptari solebat de significato termini «Ordinarius proprius», qui pro mente infirmo curatorem constituere poterat, haud obstantibus quidem sat claris verbis legis iuxta quam per domicilium vel quasi-domicilium quisque suum sortitur Ordinarium³³, ita et nunc quaeri potest quinam iudex competens sit ad constituendum curatorem processualem.

³² Cf. F. ROBERTI, *De processibus*, vol. II, Romae, 1926, 266: «Cum processus restitutionis sit a primo processu perfecte distinctus, personae quae alios repraesentant egent novo consensu vel consilio coetus, nec non nova licentia, quae sit necessaria ad quemlibet processum introducendum. Pariter procurator eget novo mandato».

³³ Cf. c. 94, § 1 CIC a. 1917; item c. 107 CIC a. 1983.

Diversae autem hypotheses praevidebantur in quibus Ordinarius proprius individuari poterat, ex. gr. quoad uxorem mente infirmam separatam a viro vel non, quoad acatholicos baptizatos et non baptizatos, et ita porro.

Item iuxta normas speciales pro Tribunalibus Regionalibus a Sede Apostolica datas, erat Archiepiscopi sedis Trib. Regionalis curatorem admittere vel designare, collatis consiliis cum Ordinario partis conventae, cui curator constituendum erat.

Demum ampla disceptatio notabatur de competentia Vicarii generalis circa constitutionem curatoris, attenta potissimum natura administrativa nominationis curatoris, hoc est ante et extra iudicium.

De hisce variis quaestionibus, quae nunc ad historiam iam pertinent, cf. P.A. D'AVACK, *Curatela (diritto canonico)*, in *Enciclopedia del Diritto*, XI (Milano 1962), 506; G.J. SESTO, *Guardians of the Mentally Ill* (cf. nt. 15), 82-96; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 54-59; S. VILLEGIANTE, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 11), 52.

Iamvero apud tribunal ecclesiasticum primae instantiae nomine iudicis veniunt, praeter Episcopum diocesanum (cc. 1419, § 1; 1449, § 3)³⁴, non solum Vicarius iudicialis principalis seu Officialis (c. 1420, § 1-2; cf. c. 1086, §§ 1-2 CCEO) et adiunctus seu Vice-officialis (c. 1420, § 3; cf. c. 1086, § 3 CCEO), vel simpliciter iudex diocesanus (c. 1421, § 1)³⁵, verum etiam iudex unicus (cc. 1424; 1425; § 4; cf. cc. 1089; 1084, § 3; 1092 CCEO) aut tribunalis collegialis praeses (c. 1426, § 1; cf. c. 1091, § 1 CCEO), vel insuper ponens seu relator (c. 1429; cf. c. 1091, § 2 CCEO), aut demum, sensu quodam latiore, auditor seu instructor (c. 1428; cf. c. 1093 CCEO) vel assessor (c. 1424; cf. c. 1089 CCEO). Suntne hi omnes competentes ad designationem curatoris processualis?

Perspecta sane formulatione c. 1479, praecipientis ut iudex tutorem vel curatorem «pro causa» designet, lex canonica ponit criterium obiectivum ac processuale ad circumscribendam hac in re competentiae attributionem. Tale criterium consistit in deferenda causa mentis infirmi ad iudicem determinatum, qui eam non solum quoad meritum pertractare ac definire valeat, sed etiam iuxta competentiam sibi iure concessam quoad omnes quaestiones, sine quibus causa principalis valide definiri nequit. Eo modo iudex rite designatus ad causam integre cognoscendam fit quoque unice competens ad curatoris nominationem. Sed hoc obvenit, si ipse iudex munere fungatur praesidis³⁶

³⁴ Apud Ecclesias Orientales in unaquaque eparchia iudex in primo iudicii gradu est Episcopus eparchialis - cf. cc. 1066, § 1; 1107, § 2 CCEO.

³⁵ Apud Ecclesias Orientales vocantur «iudices eparchiales» - cf. cc. 1087, § 1; 243 § 2; 1090, § 1 CCEO.

³⁶ Nam praeses ex. gr. designat auditorem (c. 1428, § 1), po-

tribunalis collegialis, aut si deputetur ad causam tamquam iudex unicus³⁷, cum is tantum plena potestate polleat solvendi omnia praeiudicia ad exitum causae principalis necessaria, hoc est tum singillatim qua praeses vel iudex unicus, tum collegialiter.

Qua de causa ab hac peculiari competentia alii excluduntur, hoc est tum Episcopus dioecesanus cum etiam Vicarius iudicialis principalis vel adiunctus, nisi ipsi tribunali collegiali praesint (c. 1426, § 2; cf. c. 1091, § 1 CCEO) in causa curatoris designatione indigente, aut in causa huiuscemodi tamquam iudices unici agent.

Pariter inter exclusos ceteri quoque iudices habentur sicut ponens seu relator, cuius est in conventu iudicum de causa referre et sententias in scriptis redigere (c. 1429; cf. c. 1091, § 4 CCEO), deinde auditor seu instructor, cuius est, iuxta iudicis mandatum, de probationibus colligendis decidere (c. 1428, § 3; cf. c. 1093, § 3 CCEO), non vero de capacitate processuali³⁸, demum assessor, quem iudex unicus tamquam sibi consulentem ascire potest (c. 1424; cf. c. 1089 CCEO), non ideo ad definiendam iure proprio

nentem seu relatores (c. 1429), admittit vel reicit libellum (c. 1505), etc.

Apud Rotam Romanam agitur de Ponente (art. 18, § 3 Norm. RR a. 1982; art. 18, § 4 Schematis Norm. RR a. 1992) et non de Decano - cf. AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 11), 69. Ponens enim in Rota «est praeses collegii, relator, et in causis contentiosis instructor» - F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I (cf. nt. 17), 356.

³⁷ Ita c. STANKIEWICZ, decr. 13 decembris 1990, n. 7; in *Quaestioni Studio Rotale*, 6 (1991) 78.

³⁸ Cf. G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore processuale* (cf. nt. 25), 175-176.

causam ipsam vel ad solvendam aliquam quaestionem praeliminarem vel incidentem.

B. DE MODO PROCEDENDI IN CONSTITUTIONE ET REVOCATIONE CURATORIS PROCESSUALIS

Quo aptius intelligi possit procedendi modus in curatoris nominatione per novam legem processualem introductus, breviter saltem commemorare iuvat aliquas saltem incertitudines ac dissensiones doctrinales, praesertim vero iurisprudenciales, quae vigente odhuc Codice Pio-Benedictino in pressius circumscribenda agendi ratione in materia curatelaе processualis ortae sunt.

1. *Duplex trames iuridicus veteris disciplinae processualis: administrativus et iudicialis*

Usus forensis canonicus in applicatione praescripti legis de curatoris designatione (c. 1651 CIC a. 1917) iam ab exordio haud unanimem sortitus est solutionem in determinatione proprii tramitis iuris in ordine ad constituendum vel revocandum repraesentantem processualem partis in causa, quae defectu capacitatis processualis laborabat ob mentis infirmitatem.

Re quidem vera curatoris constitutio interdum perficiebatur cum «discretionali» propria viae administrativaе, perspecto quod hac in re nulla forma procedendi iure praescripta erat³⁹, dum aliis in casibus cum auctoritate insistebatur in necessitatem «regularis iudicii» ad validam curatoris deputationem⁴⁰,

³⁹ Ita ex. gr. c. MANNUCCI, sent. 10 augusti 1932, n. 2; SRRD vol. XXIV, 430.

⁴⁰ Ita ex. gr. S.T. Signaturae Apostolicae in congressu d. 30

eoque vel magis quod etiam in causis matrimonialibus art. 78 Instr. *Provida Mater* requirebat ut in curatoris constitutione «iuris ordine servato» procederetur, hoc est «audita altera parte, necnon vinculi defensore»⁴¹.

At profundius totam materiam investigantes, merito ac iure mitiorem propugnabant opinionem quam penes clausula superius indicata, videlicet «iuris ordine servato», necessitatem processus iudicialis minime secumferebat, quia curatoris processualis constitutio, sicuti iidem sustentabant, per se haberi non poterat actus qui «natura sua iudicalem processum» exigeret⁴².

Et hoc in sensu Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos respondit, die 25 ianuarii a. 1943, quod nempe regulare iudicium haud requirebatur ad curatorem dandum iis, qui rationis usu destituti vel minus firmæ erant mentis, quia ad id perficiendum sufficiens erat decretum Ordinarii, prævia eiusdem prudenti inquisitione⁴³.

ianuarii 1933 declaravit curatorem ab Ordinario constituendum esse «servatis de iure servandis ad normam can. 1982 C.I.C. necnon lib. IV, tit. X, cap. III De peritis» (in SRRD vol. XXIV, 433).

Itemque S.T. Signaturæ Apostolicæ, dec. 29 aprilis 1939, decrevit illegitimam esse curatoris constitutionem «non citato infirmo, eidemque non concessa facultate excipiendi sive contra accusationem sive contra decisionem in ipsum latas», hoc quidem «cum consequenti nullitate sententiæ» (apud F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I (cf. nt. 17), 521).

⁴¹ Quidam putabant hanc normam exigere processum iudicalem et sentiam inhabilitationis - cf. A. JEMOLO, *Il matrimonio nel diritto canonico*, Milano 1941, 379.

⁴² D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 76.

⁴³ Pont. Comm. Cod. can. auth. interpr., 25 ianuarii 1943: «D.I. - Utrum vi canonis 1651, §§ 1 et 2 ad curatorem dandum iis, qui rationis usu destituti vel minus firmæ mentis sunt, requiritur

Immo perspecta natura administrativa ipsius actus deputationis curatoris, non requirebatur ne quidem «formalis et specifica investigatio», si Ordinario satis constiterit verbi gratia «ex scientia directa et personali vel ex documentis in ipsa praesentatione libelli exhibitis, partem non esse capacem standi per se in iudicio et indigere curatore»⁴⁴.

Quae cum ita sint, etsi post litis pendentiam iuxta indicationem doctrinae et iurisprudentiae «quaestio incidentalis»⁴⁵ de curatoris designatione dirimenda erat a iudice iuxta regulas processus incidentalis, id tamen potius theoretice agnitum erat, quia in praxi iudiciorum, etiam apud Rotam Romanam vigente, iudex (et in Rota ponens) lite pendente rem deferebat Ordinario proprio mente infirmi, expetendo vel demandando curatoris constitutionem⁴⁶.

regulare iudicium; an sufficiat decretum Ordinarii, praevia eiusdem prudenti inquisitione» - «R. - Ad I: Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam» - in *AAS* 35 (1943) 58.

Cf. ad rem adnotationes ad memoratum responsum: PH. AGUIRRE, in *Periodica* 32 (1943) 294-296; R. GIUSTINIANI, in *Il Monitore Ecclesiastico* 68 (1943) 21-23; D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 2), 63-81.

⁴⁴ S.T. *Signaturae Apostolicae*, decis. 8 iulii 1971, in *Periodica* 61 (1972) 138; c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, Petropolitana in *Insula Longa*, n. 2.

At permanebat etiam opinio de necessitate processus iudicialis ad curatoris constitutionem ab Ordinario, potissimum si quaestio oriretur «de ipsa incapacitate» mente infirmi - cf. F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I (cf. nt. 17), 521.

⁴⁵ Ita D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 79; AE. DEL CORPO, *De Curatore* (cf. nt. 10), 79. Item c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 9; SRRD vol. LVI, 230.

⁴⁶ Cf. AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 68. Rem theoretice tantum exponit J.M. PINNA, *Praxis iudicialis canonica* (cf. nt. 10), 53.

Ad rem contendit Cl. VILLEGIANTE: «è prassi costante de-

Curator autem legitime constitutus ab Ordinario removeri poterat ante litis contestationem, a iudice autem post litis pendentiam⁴⁷. Attamen quando remotio cum substitutione curatoris nectebatur, iudex rem totam ad Ordinarium deferebat.

Demum sicut tempore codificationis Pio-Benedictinae, ita et in periodo obligationis illius Codicis, haud semel excitata erat quaestio de necessitate praeviae provisionis canonicae de interdictione vel de inhabilitatione mente infirmi, prout leges civiles hac de re generatim usque adhuc cavere solent⁴⁸, antequam curator pro eodem infirmo ab Ordinario vel a iudice designaretur.

Quidam enim, principiis iuris civilis innixi, contendebant quaestionem de incapacitate processuali mente infirmi fieri posse obiectum exceptionis, personas in iudicio respicientis (c. 1628, § 1 CIC a. 1917; cf. c. 1459, § 2 CIC a. 1983), ac per modum causae incidentis tractandae ac definiendae (cc. 1837-1841 CIC a. 1917; cf. cc. 1587-1591 CIC a. 1983). At statim ut recognita erat incapacitas per pronuntiationem interdictionis⁴⁹ vel saltem inhabilitationis, ob quam mente infirmus facultate standi in iudicio non amplius

mandare all'Ordinario proprio dell'infermo la potestà di costituire la curatela» - *La costituzione del curatore* (cf. nt. 21), 53.

⁴⁷ AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 108.

⁴⁸ De sententia interdictionis vel inhabilitationis in foro civili aut de sententia civili constituente tutelam vel curatelam cf. *Periodica* 81 (1992) 516 ss.

⁴⁹ Clausula interdictionis exprimi poterat ut puta hisce verbis: «... eique interdiciamus facultate agendi per semetipsum in iudicio, mandantes quod eius loco et nomine in iudicio stet et agat curator...» - cf. F. SALERNO, *In tema di interdizione cautelare e di rappresentanza dell'incapace per infermità di mente nel processo canonico*, in *Il Diritto Ecclesiastico* 76 (1965) 208.

pollebat, Ordinarius proprius vel iudex ad nominationem curatoris procedere poterat⁵⁰.

Sed alii excludebant necessitatem praeviae interdictionis vel inhabilitationis incapacis per modum actus separati et independentis ab actu constitutionis curatoris, quia Codex Pio-Benedictinus minime praecipiebat sententiam incapacitatis vel «specialem processum ad aliquem interdicendum»⁵¹. Quidam tamen putabant per ipsum actum constitutionis curatoris mente infirmum facultate agendi et respondendi in iudicio saltem indirecte privari, quia eorum sententia privatio capacitatis processualis in foro canonico curatoris nominationem consequencebatur tantum et non praecedebat eam, prout in foro civili, participando igitur naturam decreti curatorem constituentis⁵².

Praetermissa hoc in loco quaestione de indole constitutiva necne nominationis curatoris in foro canonico, meminisse iuvat communem doctrinam et rotalem iurisprudentiam non requisivisse praevia interdictionem vel inhabilitationem mente infirmi ante

⁵⁰ F. SALERNO, *Il procedimento canonico per la nomina del curatore dell'infermo di mente*, in *Il Diritto Ecclesiastico* 76 (1965) 190.

⁵¹ Ita F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I (cf. nt. 17), 521, qui tamen contendebat «pronuntiationem interdictionis vel inhabilitationis posse esse actum iurisdictionis voluntariae vel contentiosae prout dirigitur tantum ad infirmi tutelam aut est obnoxia contestationi», et admittebat quod «si quaestio oriatur de ipsa incapacitate, independens ab Ordinarii decreto, sententia necessaria est post processum iuris ordine servato, cum participatione utriusque partis et promotoris iustitiae, nec non, si casus ferat, vinculi defensoris» (l.c.). Cf. etiam R. FIGUEROA, *La «Persona standi in iudicio» en la Legislación Ecclesiastica*, Roma 1971, 125-126.

⁵² A. TOSO, *De constitutione curatoris in foro ecclesiastico* (cf. nt. 19), 118.

curatoris nominationem⁵³, quia Ordinarius poterat curatorem pro foro canonico constituere «si, omnibus mature perpensis, id statuendum esse prudenter censuerit» (c. 1651, § 2 CIC a. 1917)⁵⁴.

2. *Nova disciplina processualis de iudiciali curatoris constitutione et revocatione*

Cum iuxta novam legem processualem iudex tantum competens sit ad curatoris designationem pro

⁵³ Cf. D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 75; J. TORRE, *Processus matrimonialis* (cf. nt. 15), 223; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 15), 73; c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 9; SRRD vol. LVI, 230; c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, Petropolitana in Insula Longa, n. 2.

Non omnes tamen consentiebant hanc «reductionem ad unum», interdictionis incapacis et nominationis curatoris esse unicum modum procedendi in materia curatellae canonicae. E contra, utilem habebant «una separazione tra il provvedimento di interdizione dell'incapace e quello di nomina del curatore di questi, perché non è vero che essi coincidono da un punto di vista formale» - prout F. SALERNO, *Il procedimento canonico* (cf. nt. 14), 195-196.

Sed separatio interdictionis et nominationis curatoris interdum commemorata erat in rotali iurisprudencia: «At ut sententiae nullitas declarari valeat requiritur ut de amentia vel firmatae mentis defectu cum morali certitudine constet. Haec autem praesumuntur cum in foro ecclesiastico aut curator iam datus erat aut lata erat interdictio (cf. cann. 1650; 1651; *Provida Mater*, art. 78 et Comm. I. C. 25 ianuarii 1943)» - c. PINTO, sent. 28 octobris 1976, n. 2; RRD vol. LXVIII, 383-384.

⁵⁴ Inde saepe memorata sent. c. SABATTANI, d. 20 martii 1964, ita concludit: «Omnibus attentis, PP.DD. animadvertendum censent quod, ad curatorem constituendum, non requiritur praecedens interdictio vel inhabilitatio, sed nec examen peritale» (SRRD vol. LVI, n. 9, 230).

mente infirmo (cc. 1478; 1479; cf. cc. 1136; 1137 CCEO), et, per consequentiam, ad eius revocationem, congruenter cum traditione canonica praecedentis legislationis quaestio de eiusdem infirmi incapacitate standi in iudicio, et consequenter de curatulae processualis institutione, ab ipso iudice per modum causae praeliminaris definiri debet, si incapacitas haec exoriatur iam in limine iudicii, aut per modum causae incidentis, quoties ipsa exarsit tantum post litis pendentiam.

a) Processus praeliminaris

In processu praeliminari⁵⁵, hoc est in limine litis, pressius vero in iudicio ferendo di admissione vel de reiectione libelli, iudex unicus aut tribunalis collegialis praeses (c. 1505, § 1; c. 1188, § 1 CCEO) cum viderit actori legitimam personam standi in iudicio deesse, iam in exordio iudicii pro eodem actore mente infirmo curatorem constituere debet.

Designatio curatoris fit iudicis decreto scripto

⁵⁵ Etsi Codex nunc vigens non adhibet locutiones prout sunt: «quaestio praeliminaris», «processus praeliminaris» vel «iudicium praeliminare», sicut expresse loquitur de «quaestione praeiudiciali» (c. 1675, § 1; cf. c. 1361, § 1 CCEO), et de «quaestione incidenti» (cc. 1462, § 2, 1589, §§1-2; 1616, § 2; cf. cc. 1121, § 2; 1269, §§1-2; 1270, § 1; 1299, § 2 CCEO), vel de «causa incidenti» (cc. 1587-1588; cf. cc. 1267-1268 CCEO), analogice tamen cum terminologia iuris processualis civilis quaestiones de incapacitate processuali mente infirmi et de nominatione curatoris vocari possunt «praeliminares», quia respiciunt «i presupposti processuali, che sono le condizioni di regolare costituzione del rapporto processuale», sicuti etiam «la capacità e legittimazione formale delle parti» (E.T. LIEBMAN, *Manuale di diritto processuale civile*, vol. I, Milano 1984, 155-156).

dato⁵⁶, praevia eiusdem prudenti inquisitione⁵⁷, audita altera parte necnon vinculi defensore in causis matrimonialibus, in ceteris autem audito promotore iustitiae⁵⁸, demum, audito quoque, si fieri potest, Episcopo diocesano eius, cui dari debet curator, quoties de admissione curatoris civilis pro foro canonico agitur (c. 1479; cf. c. 1137 CCEO).

⁵⁶ Quamvis lex non praescribat formam (cf. autem c. 1484 quoad mandatum procuratorium) provisionis iudicialis, cum statuit de curatore a iudice dato (c. 1478, § 2), constituto (cc. 1478, § 3; 1519, § 2) vel designato (c. 1479), hoc est utrum mandatum constitutionis scripto dari debeat, an simplex orale mandatum sufficiat, nihilominus necessitas formae scriptae deducitur ex scripta forma actuum iudicialium, praescripto c. 1472, § 1 imposita tum actis causae, tum actis processus. Ceterum etiam decretum singulare scripto ferri debet (c. 51).

Vigente Codice Pio-Benedictino doctrina et iurisprudencia non requirebant formam scriptam mandati constitutionis curatoris ex auctoritate administrativa Ordinarii provenientis, secus vero in iudiciali constitutione curatoris. At in omnibus casibus optanda erat forma scripta. Exigenda tamen erat nominationis curatoris mentio in actis, sicut et nunc exigi debet. Cf. AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 81.

⁵⁷ Cum lex canonica non caveat de necessitate interdictionis vel inhabilitationis partis in causa, quae persona standi in iudicio careat, interdum postulatur, ut accurata fiat investigatio de eiusdem partis incapacitate processuali, quia «non può ad essa legittimamente nominarsi un curatore, se non previo un rigoroso accertamento giudiziale preliminare alla trattazione o almeno alla decisione della causa di nullità del vincolo». Alia tamen ex parte — «la mancanza di questo accertamento preliminare non sembra che possa provocare la nullità di sentenza, a meno che sia stata richiesta dalla stessa parte presunta incapace o da persone legittimamente interessate a questa richiesta e sia stato rifiutato dal giudice» - C. GULLO, *Il diritto di difesa nelle varie fasi del processo matrimoniale*, in *Monitor Ecclesiasticus* 113 (1988) 33.

⁵⁸ Haec elementa praeliminaris iudicii apte desumuntur ex praecedenti disciplina circa curatoris nominationem ante vel extra iudicium.

Ad iudicium ferendum de incapacitate processuali actoris sufficiunt documenta una cum libello ad rem exhibita vel interdum satis est cognitionis directae ipsius iudicis, si mentis deordinatio etiam profanis sine difficultate pateat, in casu autem contestationis seu oppositionis praesumpti incapacis, «audito saltem unius periti voto»⁵⁹.

Iudex autem antequam decretum constitutionis curatoris ferat, idoneitatem candidati ad exercendum munus curatoris processualis perpendere debet. Hic enim, non solum persona standi in iudicio pollere debet, ideoque a mentis infirmitate ipse immunis sit oportet, verum etiam necesse est ut sit aetate maior, praesertim vero et potissimum bonae famae⁶⁰ atque poena excommunicationis haud mulctatus⁶¹. In hoc munus tamen acatholicus baptizatus vel immo non baptizatus deputari potest⁶², praesertim si iam munere curatoris civilis fungatur aut sit mente infirmi pa-

⁵⁹ Cf. c. MATTIOLI, sent. 7 octobris 1965, n. 2; SRRD vol. LVII, 627; c. PINTO, sent. 28 octobris 1976, n. 2; RRD vol. LXVIII, 384.

Sed interdum affirmatum est tali in casu «nec examen peritale» requiri - c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 9; SRRD vol. LVI, 130. Peroportune tamen adiungit AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 75: «... nisi ipse Ordinarius hoc censeat opportunum ad suum iudicium efformandum». Quod haud dubie in praesentiarum valet etiam pro iudice.

⁶⁰ Analogice cum procuratore et avvocato - hoc est iuxta c. 1483 (cf. etiam c. 1141 CCEO).

⁶¹ Excommunicatus enim vetatur ecclesiasticis officiis vel ministeriis vel muneribus quibuslibet fungi - c. 1331, § 1, 3^a (cf. etiam c. 1434, § 1 CCEO).

Post excommunicationis declarationem vel irrogationem sermo potest de invalida curatoris constitutione. Cf. G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 173.

⁶² Cf. c. 1476.

rens vel propinquus⁶³. Nulla de cetero datur exclusio quoad viros vel mulieres, clericos vel religiosos⁶⁴.

Curatoris autem nominatio usitato more absoluta esse debet, etsiamsi praxis iudiciorum curatoris nominationem interdum «ad cautelam» concedat, potissimum ei qui minus firmae sit mentis, perspecto quod curatela cautelarum in favorem mente infirmi constituitur, non vero in poenam et contra eum, potius ad tuenda eius iura in iudicio datur, et in eius auxilium, minime vero ad coercenda vel submovenda eius iura ope intercessionis curatoris cautelarum⁶⁵.

⁶³ Sub vetere disciplina processuali disceptabatur in doctrina et in iurisprudencia utrum parentes fierent curatores nati, an potius indigerent iudicis confirmatione. Cf. hac in re amplam expositionem opinionum apud AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 46-52 et G.J. SESTO, *Guardians of the Mentally Ill* (cf. nt. 14), 58-60.

Nunc tamquam sententia certa tenenda est, quae pro aetate maiore mente infirmo confirmationem parentis in munus curatoris filii requirit.

Cf. ex. gr. c. ROGERS, sent. 15 februarii 1966, n. 1; SRRD vol. LVIII, 79: «Ponens, autem, ne tempus tereretur in disceptanda salebrosa quaestione de actricis capacitate standi in iudicio... nominavit curatricem pro actrice in personam eius matris».

⁶⁴ Pro religiosis accedere debet superioris consensus ad normam c. 671.

Insuper deputari possunt etiam administri tribunalis, prout notarius, promotor iustitiae, advocatus seu patronus mente infirmi, sed ratione muneris tuendi vinculum matrimoniale (c. 1432) merito excluditur vinculi defensor - cf. AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 45; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 174.

⁶⁵ Tempore praecedentis legislationis processualis praevalens doctrina et iurisprudencia favebant constitutioni curatoris «ad cautelam» - cf. ex. gr. D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 77; P.A. D'AVACK, *Curatela* (cf. nt. 33), 510; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 35-36.

Idemque dicendum de rotali iurisprudencia - cf. c. POMPED-

Post acceptationem autem curatela processualis tum ab ipso designato curatore, cum etiam ab actore mente infirmo, si actus humani capax sit, vel saltem nemine contradicente, curator ad litem ut primum deputatus libellum litis introductorium actoris ratum ha-

DA, sent. 8 aprilis 1974, n. 5; SRRD vol. LXVI, 268: «Curator in foro ecclesiastico datur ut iura curatus valeat apte defendere sua atque praecaveantur nullitates actuum: quod apertissime constat etiam ex praxi apud N.S.T. vigenti, constituendi nempe aliquando curatorem «saltem ad cautelam»; c. PINTO, sent. 28 aprilis 1977, Januen., n. 2: «Curator constitui debet, saltem ad cautelam, cum probabile dubium adsit de partis iudicii discretionem causae agenda proportionata» (in *L'incapacitas (can. 1095) nelle «sententiae selectae coram Pinto»*, Città del Vaticano 1988, 143); c. STANKIEWICZ, sent. 20 ianuarii 1983, Portlanden. in Oregon, n. 14; in *Monitor Ecclesiasticus* 109 (1984) 254; c. DE LANVERSIN, sent. 1 martii 1983, n. 3; RRD vol. LXXV, 70.

Talem praxim nonnulli iam prius reprehendebant, eoque magis nunc reprobant - cf. ex. gr. F. SALERNO, *In tema di interdizione cautelare* (cf. nt. 49), 208; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 170-171; F. LÓPEZ ZARBUELO, *La constitución de curador en favor del «minus firmæ mentis» antes y después de la promulgación del Código de Derecho Canónico*, in *Revista Española de Derecho Canónico* 39 (1983) 320; J.J. GARCÍA FÁLDE, *Nuevo derecho procesal* (cf. nt. 25), 48.

Attamen recens praxis Trib. S. Sedis hucusque admittit hanc formam curatelae cautelariorum. Cf. S.T. Signaturae Apostolicae, dec. 11 aprilis 1987, n. 10; in *Periodica* 77 (1988) 337: «In dubio positivo et probabili de partis capacitate processuali, ad vitandas controversias circa sententiae validitatem, constitui potest curator ad cautelam».

Etiam si sub aspectu theoretico rectius videatur, ut curatela cautelariorum in praxi iudiciorum non amplius constituatur, attento quod curator dari debet si certo constet de incapacitate processuali partis in causa (cf. c. 1504, § 2, 2^o), altera tamen ex parte certum videtur designationem curatoris ad cautelam invalidam haberi non posse. Iure enim praecedenti designatio curatoris ad cautelam semper valida habebatur.

bere debet eiusque nomine saltem implicite matrimonium nullitatis accusando⁶⁶.

Sed in iudicio super admissione libelli iudex non tenetur de capacitate partis conventae standi in iudicio inquirere, quia per exhibitionem libelli litis introductorii relatio iuridica processualis instauratur tantum, prout doctrina traditionalis tenet, inter iudicem et actorem, extenditur autem ad alteram partem cum citatione⁶⁷. Ceterum Consultores Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo in adunatione diei 25 octobris 1978 responderunt «ad finem admittendi vel reiciendi libellum, quod est ratio huius canonis (c. 141 Schematis "de processibus" a. 1976 = c. 1505, § 1 CIC 1983), nihil referre utrum pars conventa habeat vel non capacitatem standi in iudicio»⁶⁸.

⁶⁶ Item curatori agnoscunt facultatem accusandi matrimonium mente infirmi ex. gr. D. STAFFA, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 1), 80; G.J. SESTO, *Guardians of the Mentally Ill* (cf. nt. 14), 113; c. STANKIEWICZ, decr. 13 decembris 1990, n. 7, in *Quaderni Studio Rotale* 6 (1991) 78.

Alii putant curatorem posse tantum promotori iustitiae nullitatem matrimonii denuntiare, vel saltem si pars sit absolute incapax - AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 90; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 177.

⁶⁷ Cf. F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I (cf. 17), 81; sed contrarium tenet A. COMOLLI, *La costituzione del rapporto processuale* (cf. nt. 30), 38.

⁶⁸ *Communicationes* 11 (1979) 84.

At vigente Codice Pio-Benedictino quidam postulabant ut momento acceptationis vel reiectionis libelli iudex videret etiam de persona standi in iudicio partis conventae - cf. P.A. D'AVACK, *Curatela* (cf. nt. 33), 509; A. VITALE, *In tema di rappresentanza degli incapaci nel diritto canonico*, in *Il Diritto Ecclesiastico* 72 (1961) 478 ss.; F. SALERNO, *In tema di interdizione cautelare* (cf. nt. 49) 218; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 31.

Prudenter autem contendebat c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 5; SRRD vol. LVI, 224: «Utique, in sede acceptationis

Quare post libelli acceptationem tantum, prius tamen quam ad partis conventae citationem deveniat, iudex de capacitate processuali eiusdem partis conventae videre debet, quia lex praecipit ut citatio denuntietur ipsi curatori, si lis moveatur adversus eum, qui non habet liberum exercitium suorum iurium, seu ei qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam iuris (c. 1508, § 3; cf. c. 1191, § 3 CCEO)⁶⁹.

Exorta igitur quaestione de partis conventae defectu personae standi in iudicio, iudex unicus vel tribunalis collegialis praeses, servato ordine iudicii preliminaris, hoc est audita altera parte, vinculi defensore vel, prout casus ferat, promotore iustitiae, exquisito quoque, si opus sit, voto peritali, scripto decreto designabit curatorem, saltem summarie indicando motiva exploratae incapacitatis processualis.

Decretum autem constitutionis curatoris mandatum continens, utrique parti nec non defensori vinculi vel, si adsit, etiam promotori iustitiae, notificari debet.

vel reiectionis libelli, unice de actoris capacitate processuali inquirendum est. Nam conventus adhuc stat extra cancellos Tribunalis, et semper extra eosdem cancellos vagabit, si libellus reiciatur».

⁶⁹ Etiam in periodo Codicis praecedentis, praeter c. 1713, in causis matrimonialibus de denuncianda citatione curatori cavebat art. 77 Instr. *Provida Mater*: «Si pars conventa rationis usu sit destituta, vel minus firmae mentis, citatio tutori vel curatori denuncianda est».

Itemque Pont. Comm. interpr. d. 25 ianuarii 1943, ad Dubium: «Utrum denuntiatio citationis et communicatio sententiae, de quibus in cann. 1712 et 1877, fieri debeant ipsi rationis usu destituto aut mente infirmo, an eorundem curatori legitime constituto» - Respondit: «Negative ad primam partem, affirmative ad secundam» (AAS 35 [1943] 58).

Ut par est, deputatio in munus curatoris processualis ab ipso curatore acceptari debet, saltem implicite, verbi gratia ipsa comparitione coram iudice. Curator tamen legitime constitutus, sicut ad rem affirmatum est, vi ipsius deputationis «personam habet standi in iudicio et agendi nomine alterius, etiamsi neglexerit suam acceptationem significare»⁷⁰.

Itemque constitutio curatellae processualis acceptari debet ab ipsa parte conventa, si usu rationis non sit penitus destituta, quamvis obiectum acceptationis sit tantum persona curatoris, non autem provisio iudicialis de eiusdem conventae incapacitate processuali⁷¹.

Si pars conventa mente infirma curatellae a iudice constitutae reclamet, praesertim vero si refragetur personae curatoris, iudex novo decreto eundem curatorem subrogare potest.

Quodsi pars in causa mente infirma imputatae sibi incapacitati processuali sese opponat, suamque remonstrationem iudici manifestando ob assertam perdurationem psychicae integrae valetudinis, ipse iudex, auditis de more audiendis, ac omnibus mature perpensis, revocare potest decretum constitutionis curatoris (cf. c. 1591; c. 1271 CCEO). At si id fieri non posse persuasum sibi habeat, si ipse sit praeses tribunalis collegialis, rem deferre debet ad collegium, si vero tamquam iudex unicus agat, recursum partis remittere debet ad tribunal appellationis. Decretum

⁷⁰ AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 85; G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 179.

⁷¹ AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 85; c. STANKIEWICZ, sent. 20 ianuarii 1983, n. 12, in *Monitor Ecclesiasticus* 109 (1984) 252.

enim iudiciale, curatela processualem constituens, vel confirmans, in quantum disponit de capacitate partis standi in iudicio, non solum indolem decisoriam habet (cf. c. 1617; c. 1300 CCEO), sed etiam impugnationi obnoxium est⁷², hoc est ad collegium et ad tribunal appellationis, cum de decreto praesidis agitur, ad tribunal appellationis tantum, si res sit de decreto iudicis unici. Tale enim decretum vim sententiae definitivae retineat (c. 1618; cf. c. 1301 CCEO), quia iudicium impedit, in quo pars in causa nomine proprio agere vel respondere valeat⁷³.

⁷² Sub vetere Codice sustinebatur appellabilitas provisionis canonicae, hoc est sententiae vel decreti, curatorem constituentis.

Namque: «1. Contra sententiam locus est appellationi, ad normam iuris, usque ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal; 2. contra decretum interponi potest recursus, et quidem: a) contra decretum iudicis seu praesidis vel ponentis recursus fit ad collegium seu Turnum, adversus autem decisionem collegii seu Turni provocatur ad Tribunal superius vel ad Turnum sequentem; b) contra decretum Ordinarii non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam, sed de eiusmodi recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregationes» - AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 104.

In specie autem quoad recursum administrativum: «adversus illegitimam curatoris constitutionem ex parte Ordinarii datur recursus ad S.C. pro Clericis, ad normam can. 1601. Nam, licet agatur de actu cum exercitio potestatis iudicialis necessario connexo, est tamen naturae administrativae, extra et ante iudicium ab organo administrativo peracto. Incompetentia N.A.T. ad videndum de recurso est absoluta». Immo, «ubi nullitas sententiae pendeat a validitate decreti quo Ordinarius curatorem constituit, N.A.T. de querela nullitatis videre nequit nisi facultate a Consilio pro Publicis Ecclesiae Negotiis obtenta, prout in casu factum fuit Litteris d. 2/IV/1980, P.N. 1900/80» - c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, Petropolitana in Insula Longa, n. 3.

⁷³ Iamvero decretum, quo curator constituitur, impedit iudicium quoad indolem partis in causa agere volentis nomine proprio. Aliud est enim suscipere iudicium nomine proprio, aliud ve-

Ceterum recens Rotae Romanae praxis appellabile habet decretum, quod de curatoris constitutione vel revocatione disponit⁷⁴.

b) Processus incidentalis

Post recursum a decreto praesidis ad collegium, vel a decreto iudicis unici ad tribunal appellationis, prout etiam post recursum a decreto collegii, potissimum infirmanti praesidis provisionem, ad tribunal appellationis, procedendum est hisce in casibus, attenta rei gravitate, iuxta normas proprias processus incidentis (cc. 1587-1591; cf. cc. 1267-1271 CCEO)⁷⁵, prout etiam quando quaestio de incapacitate processuali alterutrius partis in causa post litis pendentiam primum tantum exoritur.

ro agere vel respondere per curatorem. Cf. A. SABATTANI, *Le impugnative delle decisioni incidentali*, in AA.VV., *Cause incidentali*, Roma 1988, 94.

At contrarium tenet G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 181, iuxta quem «non pare possibile il ricorso al tribunale superiore se non dopo la sentenza definitiva e cumulativamente con l'appello contro tale sentenza». Quare iudicio huius Auctoris «Il decreto o la sentenza interlocutoria con cui si costituisce il curatore processuale, o se ne rifiuta la costituzione, non pone termine alla lite, né pregiudica la sentenza definitiva sul merito».

⁷⁴ Cf. c. RAGNI, *decr. 12 iunii 1990*, in *Quaderni Studio Rotale* 6 (1991) 67-73, a quo Patronus curatoris conventi recurrit ad Turnum sequentem qui decretum appellatum infirmavit, videlicet revocando constitutionem curatoris - c. STANKIEWICZ, *decr. 13 decembris 1990*, in *Quaderni* 75-82.

In hoc decreto legimus: «Recurrentibus adversus memoratum decretum (id est c. RAGNI) conventi Patronis, quaestio definienda nostro commissa est Turno».

⁷⁵ Cf. F. LÓPEZ ZARZUELO, *La constitución de curador en favor del «minus firmae mentis»* (cf. nt. 65), 319.

Haud dubie quaestio de constitutione, vel de revocatione curatoris, post recursum ad collegium vel ad tribunal appellationis, generatim non indiget praevia tractatione de eius firmitate seu fundamento ac de nexu cum causa principali, sed nonnisi de modo solvendi eam per decretum vel potius per sentiam interlocutoriam (c. 1589, § 1; cf. c. 1269, § 1 CCEO), et quidem ante sententiam definitivam (c. 1589, § 2; cf. c. 1269, § 2 CCEO)⁷⁶.

Quod autem ad meritum quaestionis spectat, hoc iuxta praxim iudiciorum per decretum definiri solet (c. 1590, § 2; cf. c. 1270, § 2 CCEO), et in Rota Romana, servato ordine memorialium, seu «per memorialia» (art. 112 Norm. RR a. 1934; art. 75 Schem. Norm. a. 1992), etiamsi hac in quaestione pateat quoque via processus contentiosi oralis⁷⁷, videlicet si quaestio solvi debeat per sententiam interlocutoriam (c. 1590, § 1).

Decretum confirmans curatoris constitutionem, vel eam revocans, indolem decisoriam⁷⁸ habet, prout supra dictum est, ideoque ad validitatem motivis saltem summarie expositis fulciri debet (c. 1617; cf. c. 1300 CCEO).

Sed appellabilitas eiusdem decreti pendet ab eo, utrum vim duplicis decisionis conformis, in eadem quaestione prolatae, assecutum sit necne.

Animadvertendum est quoque decretum, quo cu-

⁷⁶ Cf. S. VILLEGIANTE, *Le questioni incidentali*, in AA.VV., *Il processo matrimoniale* (cf. nt. 26), 262 ss.

⁷⁷ CCEO c. 1270, § 1 hoc in casu de processu summario cavet.

⁷⁸ Ita ex. gr. c. STANKIEWICZ, decr. 13 decembris 1990, n. 9; in *Quaderni Studio Rotale* 6 (1991) 80.

rator pro mente infirmo designatur, in foro canonico non habere vim constitutivam⁷⁹, hoc est incapacitatem processualem mente infirmi a momento constitutionis curatoris tantum inducens. Tunc enim privatio capacitatis processualis effectum iuridicum sortiretur, etiamsi iudex casu aliquo erraverit in aestimatione severitatis deordinationis psychicae, quae in subiecto necessariam discretionem agendi per se ipsum in iudicio auferret. Idque sustineri nequit, cum secus ius processuale Ecclesiae «nihil posset contra illam evidentem iniustitiam»⁸⁰, si per constitutionem curatoris pars in causa, discretionem necessaria pollens, iudicis decreto capacitate processuali privaretur.

Quare decreto, quo curator processualis deputatur, potius vis demonstrativa⁸¹ vel simpliciter declarativa⁸² tribuenda est, quam indoles constitutiva

⁷⁹ Cf. A. Toso, *De constitutione curatoris* (cf. nt. 19), 118.

Effectum constitutivum saltem quoad relative incapaces agnoscunt ex. gr.: G. RICCIARDI, *La costituzione del curatore* (cf. nt. 25), 168: «Con la costituzione del curatore processuale la parte viene giuridicamente riconosciuta incapace e viene privata della «legitima persona standi in iudicio»». At invocata decis. S.T. Signaturae Apostolicae d. 8 iulii 1971 loquitur tantum de praesumptione incapacitatis discretionis apud pupillum, non vero de privatione capacitatis cum nominatione curatoris coniuncta.

Item cf. c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, Petropolitana in *Insula Longa*, n. 2: «Huiusmodi incapacitas (i.e. relativa) ... incipit a momento quo interdicti vel inhabiles declarantur, sive explicate, sive implicite dato eisdem curatore, Ordinarii decreto».

⁸⁰ Cf. c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 8; SRRD vol. LVI, 229.

⁸¹ Ita AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 39.

⁸² Cf. c. GIANNECCHINI, sent. 21 maii 1982, n. 2; RRD vol. LXXIV, 273: «Constitutio curatoris est declarativa non constitutiva incapacitatis processualis, quia mentis deordinatio est «factum per se stans, independenter a cognitione et declaratione hominum quorumcumque; ex quo, proinde, nullitas et actorum et agendo-

incapacitatis, cum haec incapacitas «independenter a qualibet pronuntiatione inhabilitationis»⁸³, seu obiective operetur. Ceterum et qui contendunt mente infirmum capacitate privari implicite a momento designationis curatoris, admittere coguntur decretum nullum esse, si «postea detegitur incapacitatem revera nullam exstitisse»⁸⁴. At pro decreto stat praesumptio iudicis de legitimitate constitutionis curatoris, ita ut iudex alterius instantiae ex officio non teneatur ea de re profundiorum inquisitionem perficere⁸⁵.

Aliter tamen dicendum est, si ipsa pars a iudice expostulet ut curatorem removeat, quod in praxi iudiciorum haud tam raro occurrit.

Si enim nullum amplius adstet dubium positivum et probabile de sanitate mentis illius, cui verbi gratia in praecedenti instantia curator datus est, cum de recuperata sanitate plene constet ex producto ad rem documento medico vel ex peritia privata, etiamsi extraiudiciali, ceterisque adunctis sanitati quoque faventibus, iudex curatorem antea rite deputatum revocare tenetur, ne «iure naturali agendi in iudicio pars immerito privetur et sententia, ob defectum legitimi mandati, fuisset insanabiliter nulla»⁸⁶.

ANTONI STANKIEWICZ

rum sequi dicenda est etiam si nemo umquam sit capax illam recognoscendi" (c. MATTIOLI, sent. 7 octobris 1965, n. 2; SRRD vol. LVII, 627)».

⁸³ Cf. c. SABATTANI, sent. 20 martii 1964, n. 8; SRRD vol. LVI, 228; AE. DEL CORPO, *De curatore* (cf. nt. 10), 40.

⁸⁴ Ita c. PINTO, sent. 12 decembris 1980, Petropolitana in *Insula Longa*, n. 3.

⁸⁵ Cf. c. PALAZZINI, decr. 7 octobris 1970, Asten.

⁸⁶ Cf. c. PINTO, sent. 28 aprilis 1977, Januen., n. 2, in *L'incapacitas* (cf. nt. 66), 143; c. STANKIEWICZ, decr. 13 decembris 1990, n. 8; in *Quaderni* (cf. nt. 67), 79.